



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,  
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio  
incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

§. I. Hæc sententia ut probabilior eligitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

autem infusa sine tali ordine; & consequenter sub maiori immaterialitate representatur per speciem infusam, quam per speciem acquisitam; ex quo fit, quod species per se infusa universalior sit in representando, quam species acquisita per se; illa enim nedum representat directè naturam quoad prædicata specificam, sed etiam omnia eius individua, secus autem species à phantasmate abstracta. Quæ solutio sumitur ex D. Thoma supra qu. 9. ar. 4. ad 3. ubi inter habitum scientiæ infusæ, & habitum scientiæ acquisitæ hoc statuit discrimen, quod iste acquiritur per comparationem humane mentis ad phantasmata; ille verò est alterius rationis, utpote à superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum. Quibus verbis distinguit habitum scientiæ per se infusæ ab habitu scientiæ per se acquisibilis per hoc, quod objectum scientiæ acquisitæ dicit ordinem ad phantasmata à quibus fuit abstractum; objectum verò scientiæ infusæ sine dependentia à phantasmatis attingitur.

## ARTICULUS II.

*An Christus scientias per se acquisibiles proprijs actibus sibi comparaverit, vel eas à Deo per infusionem receperit?*

14. **Q**uanvis apud Theologos certum & indubitatum sit fuisse in Christo præter scientiam beatam & infusam, scientiam per se & ex genere suo acquisibilem, dubitatur tamen de modo, quo Christus hanc sibi comparaverit; Plures enim existimant illam per accidens fuisse Christo infusam divinitus, sicut & Adamo, nè aliquando caruerit noticià clarâ naturali plurimorum objectorum, quæ per talem scientiam percepit. Ita docent D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, & Durandus art. præc. relati, eamque tenuit D. Thomas in 3. dist. 14. qu. 3. art. 3. ut ipsemet fateatur hic art. 2. & supra qu. 9. art. 4. Ex Recentioribus verò hanc sententiam sequitur Suarez hic disp. 3. sect. 2. afferens scientiam per se acquisibilem infusam esse per accidens Christo quantum ad habitum & species necessarias ad demonstrationem rerum faciendas, licet non quoad experimentalem cognitionem.

Probabilior tamen videtur sententia, quam, retractatâ priori, tradit S. Doctor hic art. 2. & supra qu. 9. art. 4. eisque Discipuli communitè amplectuntur, nimirum Christum prædictam scientiam proprijs actibus sibi comparasse, nè intellectus in eo maneret otiosus & frustraneus. Idem docent Vazquez, Beccanus, Ragusa, Theophilus Raynaudus, & alij.

## S. I.

*Hæc sententia ut probabilior eligitur.*

**D**ico igitur: Christus scientiam per se acquisibilem proprijs actibus sibi comparavit, non verò eam solum à Deo per infusionem recepit.

15. **P**robatur conclusio duplici ratione, quam insinuat S. Doctor supra qu. 9. art. 1. Prima sic potest proponi. Si Christus scientiam per se acquisibilem proprijs actibus non acquisivit, sed eam solum per infusionem à Deo accepit, sequitur intellectum agentem Christi fuisse omninò otiosum & frustraneum: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Proprium officium intellectus agentis est facere speci-

es intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatis; ut docent Philosophi in libris de anima: Ergo si intellectus agens animæ Christi species aliquas non abstraxit à phantasmatis, sicut omnes Christus à Deo per infusionem accepit, rit omninò otiosus & frustraneus; frustra enim est id, quod non habet propriam operationem, ut dicitur 2. de cælo textu 17. cum unumquodque que fit propter suam operationem.

Hæc ratio non solum probat fuisse in anima Christi species proprijs actibus comparatae, sed etiam ipsum habitum scientiæ, quia in probabili sententia non est quid distictum ab alijs speciebus; cum quia licet admittatur illum esse quandam realitatem ab ipsis speciebus distinctam, tamen eadem videtur esse ratio de illa de speciebus, eò quod illa datur ad usum talium specierum, & quia connaturalis motus accipiendi habitum scientiæ est mediantibus speciebus, eò quod habitus ille sit lumen quoddam intellectuale acceptum & derivatum ab objectis: objecta autem sensibilia in se actu non habent vim producendi habitum intelligibilem, quousque mediantibus speciebus abstrahant actu intelligibilia, & sic ab illis educi possit virtus, quæ est lumen intelligibile tenens se ex parte intellectus.

Secunda ratio D. Thomæ ad hanc formam reducitur, Christo non solum sunt tribuendæ omnès scientiæ, sed etiam qualibet illarum secundum proprium & connaturalem modum habendi illam; sic enim non solum est periclitum per diversas scientias arque perfectiones, verum etiam & diversis modis. Sicut ergo Christus habuit scientiam beatam secundum proprium modum illius, scilicet permanentem, non tantum transeuntem, ut aliqui in via habuerunt; & sicut habuit scientiam per se infusam secundum modum proprium illius, scilicet per infusionem ita scientiam humanam, seu naturam suam acquisibilem, habere debuit modum humanum, scilicet per acquisitionem, non verò eam solum per infusionem à Deo recipere.

Addo quod, cum Christus ad paupertatem nostram ultrò ac volens se dimiserit, omnia quoque nobis commatralia, quæ statum eius non dedecent, admittit; Sed connaturalis homini acquirendæ scientiæ naturalis modus est per actus proprios, & per abstractionem specierum à phantasmatis eam sibi comparare: Ergo Christus hoc etiam modo scientias per se acquisibiles sibi comparavit, atque ita verè in eis profecit, quod voluisse S. Lucam, cum dicit Christum profecisse sapientiâ & ætate, docet S. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominici sacramento cap. 7. his verbis: *Quomodo profecit sapientiâ Dei (doceat te ordo verborum) profecit ætate, & profecit sapientiâ, sed humane est. Itaque ætatem ante pramisse (sic enim ipse legit) Itaque profecit ætate & sapientiâ, non ut cum Hieronymo Vulgata vertit, sapientiâ & ætate) ut secundum hominem crederes dictam; et ætatem non divinitatis, sed corporis est: ergo si profecit ætate humane, profecit sapientiâ hominis. Idem sentit sanctus Thomas hic art. 2. ad 1. ubi sic habet: *Talis scientia infusa anime Christi, quam scientia beatificans effecit agentis infinite virtutis, qui potest simul totum operari, & ita in neutra scientia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit. Scientia acquisita causatur ab intellectu agente, & non simul totum operatur, sed successive.* Et sic secundum*

secundum hanc scientiam Christus non a principio sci-

vit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta etate. Quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eam profecisse scientia & etate.

§. II. Solvuntur objectiones.

Contra precedentem conclusionem plures solent fieri instantia, quas breviter hic proponemus ac diluimus. In primis objicitur: Primo parenti a principio infusa fuerunt per accidens scientia omnes naturales, quia fuit doctor humani generis, ut docet S. Thomas 1. part. quaest. 94. art. 3. & probat duplici ratione, quam in Tractatu de homine & variis statibus naturae humanae, exposuimus: Sed etiam Christus Dominus fuit Doctor & Praeceptor totius generis humani, dicitur enim Isaia 50. Et non faciet avolare a te doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes praecceptorem tuum. Et cap. 55. Ecce respem populus dedit eum, ac praecceptorem Gentibus: Ergo etiam Christo fuerunt infusa per accidens omnes scientia naturales.

Secundo, Christum nulla decuit ignorantia, aut privatio scientiae naturaliter debita, etiam pro brevissimo tempore: At si ab initio conceptionis, non habuisset scientias omnes naturales per infusionem a Deo, sed eas paulatim propriis actibus sibi comparasset, habuisset per aliquod tempus imperfectionem ignorantiae in ipsa naturali scientia, & privationem illius: Ergo idem quod prius.

Tertio, Decebat Christum semper fuisse plenum scientia, juxta illud Joan. 1. Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae & veritatis: At si non habuisset per infusionem in primo instanti suae conceptionis, scientias omnes naturales per accidens infusas, non semper fuisset plenus scientia & veritate: Ergo illas hoc modo recepit a Deo, non vero propriis actibus acquisivit.

Quarto, Christus Dominus per scientiam naturalem cognoscebat substantias separatas, & substantiam animae suae, eo modo quo anima se, parata seipsam cognoscit: At haec non potuit cognoscere per species a phantasmatibus abstractas, cum species illae, utpote per sensus acceptae, non habeant vim representandi perfecte substantiam ullam spiritualem, & incorporam: Ergo illa cognovit per species infusas a Deo. Quod si habuit species infusas respectu substantiarum immaterialium, cur non etiam respectu rerum materialium? De utriusque enim videtur esse eadem ratio.

Quinto, Si scientia naturalis Christi, non fuit ei per accidens infusa, sed propriis actibus, seu

ministerio sensuum, & per abstractionem intellectus agentis a phantasmatibus acquisita, fuit valde diminuta & imperfecta, & inferior ad scientiam Adami: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela probatur: Plura sunt objecta naturalia quae a sensibus hominum sunt remotissima, ut omnes species piscium qui sunt in profundo maris, omnia quae generantur intra viscera terrae, vel quae in aere sunt intra vel extra nubes, omnes stellae caeli, & similia: quomodo ergo illa fuerunt sensibus Christi objecta, ut proprias eorum species & cognitionem hauriret? Nam quod ministerio Angelorum non fuerint adducta sensibilibus ad Christum, vel Christus ad illa, manifestum videtur: quomodo enim omnes stellae caeli, omnes pisces maris, omnia terrae metalla, ad Christum potuerunt adduci, & ei representari? Vel quomodo ipse Christus ad omnia profunda maris & terrae, & ad celi immensitatem, ministerio Angelorum adduci potuit, ut illa omnia objecta perulstraret, & illorum species per sensus hauriret? Haec sane videntur ficticia, & miraculis superfluis plena. Ergo si scientia naturalis Christi non fuit ei per accidens infusa, sed per species ministerio sensuum acceptas comparata, fuit valde imperfecta limitata, nec se extendit ad omnia individua & objecta naturalia quae in rerum natura existunt.

Sexto, non decuit Christum acquirere scientiam per disciplinam ab alio homine, sive Angelo docente: Ergo neque ab ipsis rebus species abstrahendo, quia sic addiceret a rebus, & penderet ab illis, ut discipulus a magistro.

Septimo, Christus habuit virtutes morales per accidens infusas a Deo in primo instanti conceptionis, ut supra docuimus: Ergo idem dicendum est de virtutibus intellectualibus, praesertim de ipso habitu scientiae naturalis. Consequentia videtur legitima, tum ex paritate rationis, tum etiam quia carentia scientiarum naturalium ad tempus, non minus videtur derogare perfectioni animae Christi, quam carētia virtutum moralium.

Denique si Christus propriis actibus sibi debuerit comparare scientiam per se acquisibilem, maxime quia alias inde sequeretur quod intellectus agens esset frustra in ejus anima, eod quod careret propria operatione, quae est abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus, ut discurret Divus Thomas hic art. 2. & supra quaest. 9. art. 4. Sed haec ratio non videtur efficax: Ergo ruit praecipuum fundamentum nostrae sententiae. Minor probatur: Tum quia intellectus agens fuit in Adamo, & in Beatis remanet, & tamen non frustra, licet non abstrahat species a phantasmatibus; sicut etiam nutritiva non est frustra in Beatis, licet non reducat in actum. Tum etiam, quia officium intellectus agentis non est solum abstrahere species a phantasmatibus, sed etiam illustrare principia, ut illis utatur intellectus; & ita licet non servierit in Christo pro primo officio abstrahendi species a phantasmatibus, potuit servire pro secundo, nimirum pro illustratione principiorum.

Haec sunt praecipua adversa sententiae fundamenta, quae (ut consideranti patebit) solum probant Christum per scientiam aliquam infusam, res omnes naturales a principio conceptionis cognovisset, unde non militant contra nostram sententiam, quae id non negat, sed duplicem in Christo scientiam infusam admittit; unam naturalem, per quam objecta naturalia per species a Deo